

Historia Grammaticae hebreorum

VALEDICTURUM DISCIPULUM NOSTRUM,

INFRA NOMINATUM,

u.t.

DIE | CRASTINO,
HORA AUDITA OCTAVA ANTE MERIDIEM,
IN AUDITORIO MAJORI,

BENEVOLIS AURIBUS AUDIANT,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,

PATRONOS, ATQVE AMICOS,

LITERIS PRÆSENTIBUS,

ETIAM ATQVE ETIAM ROGAT,

M. GEORGIUS ANDREAS Binhold Rector.

CITIGNEA,

LITERIS FRIDERICIANIS.





Ribus ad discendam Ebræorum linguam, ut literatores tridunt, instrumentis opus est, codice sacro, Lexico, Grammatica Ebræa. Prius materiae instar habet, & campum quendam vocum, dictionum, sententiarum, periodorum, orationumque subministrat: posteriora duo, formæ rationem induentia, ad intelligentiam orationis præsentis operam suam & subsidium suppeditant. Hæc tria perinde oportet in studio Hebræo concurrere, ut natura, ars & exercitatio requiruntur in eo, qui ad disciplinæ alicujus aut scientiæ apicem enititur. Neque à vero aberrant, qui codicem ante oculos, Lexicon a sinistris, Grammaticam vero a dextris collocandam putant; cum rationibus Grammaticis carere nemo possit, nisi qui cœco usui se temere velit & cum damno suo permettere. Quam quidem cautionem multi inter eruditos penſi habuerunt. Inde tanta Grammaticarum Hebræarum farago paulatim succrevit; ut perfusum habeam, linguae sanctæ studia non tam paucitate Grammaticarum laborare, quam nimia eārum multitudine & abundantia premi; adeoque magis ex re fore, ut Altingius loquitur, si quis de minuendo potius, quam augendo illarum numero consilium iniret. Rabbinos, Ebræorum Magistros, si evolimus, illi sane augusto nomine Grammaticam suam प्रति i. e. subtilitatem appellarent, persuadentes sibi, subtilioris cuiusdam solertia esse, literas, puncta, ipsarum vocum naturam, originem, inflexiones exactius perpendisse. Primi quidem, eorumque Antesignani Masorethæ literas numerare, puncta Vocalium & Accentuum obser-
vare, quomodo vocabula inter se convenienter, quomodo ab invicem differ-
rent, & variam scripturam annotare sat habuerunt. Scilicet in primordiis
duntaxat, & Grammaticæ arris infantia versati sunt, qua solo usu legendi
scribendique constabant. Citeriores deinde ulterius vim ingenii provocarunt, non tam prima elementa sectantes, quam totius linguae indolem, ori-
gines & proprietates vocum; quicquid denique ad Aurorum interpreta-
tionem pertinere visum est, jugi studio pro credulitate sua tradiderunt. Hos inter primus & princeps familiam dicit Rabbi Juda seu Jéhuda, co-
gnomento Chiug, Fessanus, quem Grammaticorum turba magnō numero
ducem secuta intelligitur. Is duobus libris conscriptis de Raphæ lenitate,
item de Geminatione, seu de dictionibus literam aliquam geminantibus,
magnum sibi, maxime inter suos, nomen conciliavit. Eum longo inter-
vallo R. Jonas, Cordubensis, sibi praeluculentem elegit; sed magna æmula-
tione accensus, dum omnium suorum conatus & comparationem vincere
studet, duos & ipse composuit libellos, quorum alter præceptiones Gram-
maticas, alter significations vocabulorum complexus est. Surrexit dein
clarissimum Abenebra ingenium, qui uti universam Hispaniam sua do-
ctrina complevit, & singulari elogio סָבָב sapientis inclaruit: ita librum
libræ linguae sanctæ seculis posteris non invidit; sed primum quidem an-
no mundi 4906, posteriore 1146, anno post Christum natum exire in or-
bem permisit. Hispanum hunc novus exceptit Hispanus, non certe minor, si non major ingenio, R. David Kimchi. Hic cum in superiorum do-
ctorum Judæ & Jonæ libris multa animadverteret superflua, multa omis-
sa, quæ ad perfectam linguæ sanctæ cognitionem requirentur: illa fari-
ampli volumina contrahens, non necessaria rejectit, necessaria, sed omissa,
adjectit; inde librum denuo adornatum סְכִילְלָה librum comprehensi-
onis inscripsit; quod omnia in eo comprehensa extarent, quæ doctori He-
bræo & sacrarum paginarum lectori sufficere posse viderentur. Quemadmodum ipse
mer de sua opera gloriatur, inscriptionis rationem redditurus,
sese librum nomine Michlol h. e. Perfectiones insignivisse: illo enim per-
fecte complecti voluisse Grammaticam linguae & significatum ejus: ut
apparatum haberent discipuli, quo cunque indigerent, ad Grammaticam

vel

vel significationem pertinentem. Ab eo distinctus alter, Moses Kimchi, sicut cum priore commune nomen gesit: sic in pari studio vires ingenii navares in magna laude posuit, oblectare volens libro Grammatico posteritatem, cum Profectionem per itinera scientia, & Oblectionem anima elaboratam simul dedisset. Temporibus ceterioribus R. Abraham Balmensis innovuit, cuius Grammatica, בְּרִית־אַבְרָהָם peculiari Abraham vocata, multos in amorem atque estimationem sui pertraxit. Nostris autem provinciis nomen Eliae Levitæ, Germani, se olim maximopere commendavit. Elias iste Christianos, ringentibus licet popularibus suis, Grammaticam Hebræam docuit & voce, & libellis in eam rem confectis, quorum notiores numerantur Capitula Eliae, (in quibus primam rationem legendi, varias nominum species, tum literarum servilium officia persecutus est) Liber electus, (in quo verborum & nominum flexiones) Liber compositionis, (in quo vocabula composita, & vulgarem regulam transflentia) Liber boni saporis, (in quo natura accentuum) Liber traditionis, (ubi plurima ad abfolutam cognitionem linguæ sanctæ ducentia traduntur.) Liber ejus Grammaticus, Romæ 1524, recusus, tantam lætitiam apud Münsterum excitavit, ut ad eum vertendum illico se accinxerit, hoc est, ut ipse interpretatur, qui paulo ante Heidelbergæ Praeceptoris officio functus erat, rursus factus sit discipulus; usque eo multa sibi ante ignota per lectionem Levitæ invenerat. Nec Rabbi Hajum prætereundus, quem referunt anno orbis conditi 4727. floruisse, & librum scripsisse de arte Grammatica חֲנָדָה, de quo Abenetha testatur, quod sit plenus sapientia & perfectæ elegantia. Sed cum Hebræorum institutiones magis usum respiciant, quam fundamenta linguæ, quod ipsi demum intelligunt, ubi docendi provinciis admoventur: cum vel eorum principes & linguae sanctæ peritisimus Quimhius Ῥώμηος, quod consistit in diligentia observationis, accurate quidem persecutus sit; Ῥώμηος autem, quod in docendi via & ratione positum est, præstare minus valuerit: consulto nostris Christianorum fecerunt, ut viam longe luculentiorem usque fructuose & expeditam suis discipulis præirent. Inde tanta Grammaticorum apud Christianos turba; ex quibus ego, temporum interfistens notis, quantum possum, qui mihi se obtulere, eos strictè & breviter nominabo.

Jannes Reuchlinus, Phorcenis, latenter haec tenet linguam sanctam denuo in lucem produxit: id quod Helvicus pene miraculi loco habendum censet, quod Deus, seculo decimo sexto, cum cæteras liberales artes & humaniores disciplinas e tenebris barbaricis eluescere fecit: tum vero in patriam nostram dulcissimam atque oras Germaniæ Hebræum sermonem transplantavit. Ille enim Capnio, velut quidam sol in suo robore exoriens, multo sudore, algu, prece, præmio & pretio, quod per longum tempus arriperuat, Rudimenta Hebræa linguæ provinciis Germanorum, impressis literis, consecravit, quæ rudimenta ipse lectioni Bibliorum sacrorum jungenda esse voluit. Cumque piperiphones quidam cum suo Pipericorno, Iudæo baptizato, sacri codicis exempla promitteret; Reuchlinus autem per annos quinque frustra expectaret, ut proferrent uvas, cum labruscas contra, ut eventus docuit, id est, libellos famosos & calumniarum plenos edidissent: se necessitate adactum sensit, ut ipse manus strenuas tanto operi admoveret. Inde septem Psalms Davidis, ad animam ex agnitione peccati conterendam facientes, cum expositionibus Grammaticis, pro virili sua operam navans, publicavit. Quam ob caussam ei literatus orbis sempiternas debet gratias. Licet vero Reuchlinus Rudimenta illa sua pro ejusmodi vendidaverit instrumento, in quo fore integrum Hebraice intelligendi artificium contineretur: doctrinam tamen hanc ita informem adhuc atque impeditam proposuit, ut non nisi tædii patientia, Hottingero censore, ingenia admiserit. Scilicet non facile quemquam, cuius operis

primus



primus autor extiterit, in eo perfectissimum reperias, nisi quod Vellejus Homerum & Archilochum in ea laude plane singulares atque excellentes prædicavit. Nihilo secius Capnio laudatus in lingua Ebraeorum propaganda omnem movit lapidem, & Tubingam literis istis ibi tradendis clariorem reddidit.

Neque solus ille Academiam Tubingenem illustravit, sed & Conradus Pellicanus, Rubeaqueensis, eodem tempore Hebraismo ibidem suum laborem impertivit. Qui quidem, magno auditorum commodo, Tiguri Hebraica docuerat, cum Hebraicorum peritissimus & esset, & haberetur, quorum desiderio a pueritia statim exarsit, præsertim ex quo comperit, Doctorem quandam Theologum, cum Judæo de fide Christiana disputationem, a Judæo, imo, quod majori probro expositioni, a Judea confusum esse.

His tertius discipulus, ut se nominat, Sebastianus Münsterus accessit an. 1509. Translatus enim ad Pellicanum, sub fidelissimo Præceptore prima rudimenta imbibit, moxque animum ad historias biblicas appulit. An. 1527. compendium Hebrææ Grammaticæ ex Eliæ Judæi libris conquistatum per eum Basileæ 8. prodidit. Mox an. 1536. Hebrææ Grammaticæ præcipuam illam partem, quæ est de verborum Conjugationibus & eorum Affixis, ejusdem opera diligentissime, cum absoluta Conjugationum tabula in 8. adornatam Basilea vidit, & latata est. Maxime cum anno dicto ibidem Grammatica Rabbi Mosche Kimchi pari forma per Münsterum versa & jam denuo accuratius cum Hebraismo collata adjiceretur. קרי וברוך h. e. Grammaticam Hebræam Eliæ Levitæ verit scholiisque illustravit. Basilea 8. 1537. Vocatque hunc librum electum tribus de cauillis: quia ipse liber sic electus ac bonus, & totus similageus absque ullo furfure; quia sit in favorem studiosorum juvenum conscriptus, qui viriliter in eō se exerceant in juventute sua atque in electa illa ætate, quo cordi eorum beras sit: ut denique habeat cognomen rarum & diversum. Dividitur liber in orationes quatuor, quarum duas verba, due nomina explicant. Institutio elementalis ex Eliæ libellis variis concinnata præmititur, cum appensa tabula conjugationum. Cum Münsteri Eliæ Grammaticam jam civitate Romana donasset, in id unice incumbens, ut Elias etiam Latinos literis Hebreis instrueret, supervenit ei paulo post libellus æque nobilis & utilis, nomen Ḥ. præferens. In eo Autor magnum in re Grammatica præsidium se inventisse gloriatur, ut inde errores priores facile perspexerit. Eodem anno 1537. Parisiis 8. ejusdem Münsteri קרי וברוך i. e. compendium Hebrææ Grammaticæ ex Eliæ diversis optimisque libris compositum, & jam denuo auctum atque recognitum; Item an. 1541, nec non 1549. Basilea 8. opus Grammaticum consummatum eruditus orbis accepit. Quemadmodum an. 1554. opus Grammaticum consummatum itidem ex variis libris Eliæ congeftum lucem adspexit publicam. Ufus est tamen & Grammatica Davidis Kimchi; Versilogum Hebraicum a Caspido Ammonio nactus est; arteum suffixorum a Christophoro quadam, Musica disciplinæ apud Basileenses doctore; ab aliis alia sibi comparando, tanquam e membris disiunctis integrum aliquod corpus conflavit; ne sacræ linguae cupidi late circumvagari cogerentur. Sermone Hebræo Discipulus noster

DAVID GOTTLIEB FRIDERICUS, Cygneus, Christum resurgentem & ascendentem, temporis rationem habens, cum manipulo frumenti Josephi esfraci literis contulit, ut discessurus in Academiam ultimum specimen daret profectum suorum. Respondebit ei

JOHANNES CASPAR OTTO, Cygneus. Qui discessus ut votis nostris respondeat, divinam clementiam imploramus! P. P. d. XIII. Maii, An. Chr. MDCCVIII.

mc.

Historia
VALEI
DISCIPU

INF

DIE
HORA AUDITA
IN AUDI

BENEVO

VENERANDOS
PATRON

LITE.

ETIAM

M. GEORGIUS

LITE

BIB
PONI

B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green


Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches



IM
M,
I,
TORES,

ATOR.
THO